QVÆSTIO MEDICA
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 16. Novembris.

M. LUDOVICO LABBE
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Oculorum doloribus Narcotica?

I.

OCULORUM fabricam qui non admiratur, oculis vel careat vel non utatur necesse est: tantâ arte & industriâ constructæ perfectæque sunt lucidæ illæ animi fores, seu fenestræ. Diceres duas esse stellulas capiti, & ad speciem atque ornatum, & ad vitæ usum simul ac dulcedinem affixas. Oculorum dignitatem arguit visus conditio, qui reliquis sensibus & agendi celeritate, & objecti nobilitate, & rerum quas repræsentat, varietate præcellit. Ad animi corporisque motus sese componunt, tantusque est illorum cum cæteris partibus consensus, ut quid in plerisque earum geratur, in oculis tanquam in speculo cerni queat, atque ut illi valent, valeat & corpus. Vix aliâ in parte major est particularum aut numerus aut apparatus: proprias habent non paucas, communes quam plurimas; omnes ad ejusdem functionis vel perfectionem, vel commoditatem, vel securitatem conspirant: his vivunt; illis sentiunt; aliis & ad dextram, & ad sinistram, & sursum, & deorsum, & in orbem, pro arbitrio moventur; Aliis rerum excipiunt franguntque imagines; nonnullis transmittunt & deportant ad animæ judicis tribunal. Faciunt interim cùm ista partium diversitas & multitudo, tùm ratio artificij singularis, ut oculi omnium maxime sint injuriis obnoxij; nec situs, nec orbiculata & ossea munitio, nec molis exiguitas, sat illos ab externis tuentur insultibus, nedum ab internis.

II.

QUOT & quibus ſubjiciantur tàm morbis quàm ſymptomatis, recenſere arduum. Vel minimæ eorum particulæ plurimis & variis caſibus patent; nervos impedit obſtructio , convellit acrimonia, nimia humiditas emollit: humorum alij nunc deficiunt, nunc craſſiores opacioreſque fiunt : figuram alij ſedemque mutant : ſunt qui foras magno cæcitatis periculo effluunt : extraneo etiam colore nunnunquam inquinantur. Membranam , quam adnatam vocant , imprimis urit Ophthalmia , infeſtat Epiphora : Eidem contumacius adhæreſcit membranula , quæ unguis inſtar à majore exorta angulo ad pupillam uſque ſeſe interdum profert ; Corneam modo denſari , modo nubeculis, maculis , phlyctænis , ulcuſculis non infrequenter malignis , vitiari, exedi, & rumpi quis ignorat ? pupillam dilatatio & tabes, ſeu imminutio corrumpunt. Muſculorum motus variis ex cauſis depravatur, imminuitur, perit. Sed affectuum, qui adeo numeroſi in oculos cadunt , nunquam difficilior cura quàm cum ad illos doloris fit acceſſio, cujus, ſi ullibi , in oculis ſanè ut magna vis & acrimonia , ſic & calamitoſa eſt conſecutio ; ejus interventu mirum quam invaleſcat primaria affectio , humorum cietur in partem afflictam aut novus, aut multo quàm antea major influxus ; ipſe oculus incaleſcit, pulſat, rubet, intumeſcit, ac ſæpe votum eſt , ne totus ſuâ ex orbitâ extrudatur ; febris accenditur ; urgent vigiliæ ; corrumpitur ſanguis ; ſpiritus, vireſque abſumuntur , ut oculo dolenti corpus univerſum condoleſcat, & communem trahatur in ruinam , quàm , niſi dolore ſedato , nunquam ſummovebis.

III.

QUANTA ſit doloris in oculos ſævientis atrocitas quiſquis neſcit, ſibi tantum ponat ob oculos , & horum delicatiſſimam texturam ſenſumque exquiſitiſſimum , & illius parentes cauſas. Doloris in univerſum nec una cauſa eſt, nec una ſtatuitur differentia ; alius gravis & obtuſus , alius pulſans , lancinans, diſtendens &c. Qui oculos male vexat plerumque eſt acutiſſimus , & ab humore fit aut acido , aut acri, aut ſalſo , aut ſaltem multo , penè ſemper tenui , & ſeroſo, ex arteriis lymphaticis vaſis , glanduliſve in eorum irruente membranas , quas adeo immaniter , vel pungit fodicatque , vel diſtendit , ut è fortiſſimis non pauci doloris intolerabilibus aculeis victi manus ſibi intulerint: hinc etiamſi dolor è ſymptomatum ſit cenſu , nec ſymptomatum prima debeat eſſe curatio , ſi non omnem , præcipuam ſaltem medentis cogitationem & diligentiam ad ſeſe convertit. Ubi itaque oculum excruciat motus ille aſper à ſenſibus alienus, explicanda quam primum & in uſum adhibenda omnis anodynorum ſupellex , inciſâ venâ ſanguis liberaliter mittendus, fomentis blandiendum ferocienti malo , ef-

ferus & mordax ichor, partim clyſteribus evocandus in alvum, partim temperandus: phænigmis, ſynapiſmis, veſicatoriis, cucurbitulis ponè aures & interſcapulio ad ſpinam utrimque affixis, ipſo etiam ſetone revellendus, educendus. His ſi deſit ſucceſſus, an aliqua purgationis opportunitas? an balneo locus? Plurima certe narcoticorum neceſſitas nec prætermittenda occaſio.

IV

OCULIS dolentibus narcoticorum uſu qui ſemper interdicit, durus is & carnifex videri poteſt; qui raro, nec unquam inter initia permittit, meticuloſus nimis, ac ſæpènumero morbum nutrit morâ præſidij, & adoleſcere oſcitanter ſinit. Magna eſt & vulgi opinione multo amplior exhibendorum narcoticorum tempeſtivitas; omnium ferè ſunt illa temporum & ætatum, nec uſui duntaxat in extremis aut doloribus aut morbis. Suis te ſpiculis pungere occipit dolor? In promptu præſtoque ſunt narcotica quæ primam eorum aciem obtundant, ponantque obicem, nè altius infigantur. Augetur ille, viget, ſævitque acrius? Narcoticis ſeu compedibus eveſtigio vinciendus. His ne quid efficacius quæras, nè in fabulis quidem: His & Homeri Nepenthe & Circes poculo citius, certiuſque conſopitur: His ſpiritus ferocientes & tumultuantes coercentur; viſcerum humorumque æſtus, etiam febriles, reſidunt; ſiſtitur infeſtus ichor qui in oculos ruit; diſcutitur qui illapſus jam eſt, iiſque inhæret; uterque ſeu acidus ſeu acer, frangitur & emendatur; officioſâ demum fraude fallitur ipſe partis dolentis ſenſus, & ſuaviſſima malorum oblivio ſomni acceſſione procuratur, huic etiam finito, futura interdum ſuperſtes. Sed quod mireris magis, dolorum quandoque vacuitas eſt ab uſurpatis narcoticis, nec inducto adhucdum ſomno, nec poſtea inducendo.

V.

ABSIT itaque inanis ille narcoſeωs metus, qui multorum mentes hactenus occæcavit. A narcoſi quamquam eſt narcoticis nomen, narcoſim tamen ea inferre ne putes, ſi prudentis medici conſilio, & quâ decet offerantur manu. Nec te deterreat moreturve plethoræ, vel cacochymiæ nondum penitus exhauſtæ religio, utrivis enim quid adjiciunt narcotica? quæ ſi diſtuleris, doloris ingraveſcentis perenni aculeo, & ipſa in horas creſcit geminaturque impuritas, & niſi totius corporis, partis ſaltem dolentis aut dolenti proximæ, privata plenitudo ſuccreſcit, circuitu ſanguinis impedito. Narcoticorum multiplex ſpecies. Frigori exuperanti vim ſuam nulla debent; calent etiam eorum plurima contrariiſve partibus conſtant. Quibus illa inſideat ſulphureiſne, an ſalinis, vel utriſque, & quo agat modo, obſcurum, atque ex earum eſt numero rerum, quæ animos latent temperatos, curioſis imponunt. Omnium potentiſſimum & maximè uſitatum Opium:

Huic è terris novo ſole calentibus , in noſtras advehendo , corrigendoque quam impendis operam , parum abeſt quin perdas ; quamvis fortaſſe diverſum ſit à Thebaico noſtras, nec ad venerem ac martem ſtimulos & calcar addat , cæteris tamen, quibus illud , uſibus inſervit, nephriticis , coliciſque doloribus admirabiliter prodeſt : Hæmorrhagiam , diarrhæam , dyſenteriamque compeſcit ; dyſuriæ , ſtranguriæ, arthritidi , rheumatiſmo medetur , & ſi quæ adjicienda animadverſio, ea fermè una eſſe debet , nè quid nimis. Id verò narcoticis palmarium eſt quod & intro ſumi , & extra admoveri oculis poſſint : Uſus eorum interior ſcrupulum movet ? ſcrupulo exterior vacat , præmittatur. Hic non reſpondet votis ? illius fac periculum , quod cum diſcrimine nunquam , ſine ſucceſſu vix unquam fiet , ſi modum tenes. Quam crebro in uſu apud veteres fuerint narcotica , evincunt tot ab ipſis inventæ , & literis conſignatæ narcoticorum formulæ , tot præſcripti eorum præparandorum modi , tot excogitata & celebrata collyria, quæ opii , hyoſcyami , mandragoræ , pſyllii admixtione gaudent , iiſque acceptam potiſſimum ferunt famam & commendationem ſuam.

Ergo Oculorum doloribus Narcotica.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Guillelmus Lamy
M. Petrus Yon.
M. Antonius de Saint-Yon Medicus Regis ordinarius.

M. Claudius de Quanteal.
M. Ioannes Robert.
M. Ludovicus Gayant Medicus Regis ordinarius.

M. Nicolaus Lienard.
M. Philippus Douté.
M. Nicolaus Morin.

Proponebat Lutetiæ PHILIPPUS TOURBIER, Peroneus A.R.S.H. MDCLXXIX.

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illuſtriſſ. Archiepiſcopi Typographi.